

Vide in
Decreta-
lib. Ne se-
de vacan-
te aliquid
innovetur.
1193.

nachi Bathonienses, & Canonici Wellenses quasi in aciem dimicationemque de Episcopis eligendis venerunt. Interimque Savanaricus Bathoniensis Episcopus, cum etiam Abbas esset Glasconiensis, Glasconiam cathedra translata, Glasconiensis dictus erat Episcopus, sed cum eo hic titulus extinctus; Monachosque & Canonicos in gratiam tandem reduxit Robertus ille, qui Ecclesie suae patrimonium in Præbendas divisit, & Decanum, Subdecantum, &c. instituit, Iocelinus etiam Episcopus sub id tempus novis ædificiis templum instauravit, & avorum memoria Radulphus de *Shrowsbery* (ut aliqui vocant) elegans sane collegium Vicariis, & Cantoribus Boreali Ecclesie parti contiguum construxit, Episcopi-que Palatium muro circumdedit. Sed qua à Palatio in forum itur pulcherrimam portam erexit Th. *Bekington* Episcopus, qui etiam duodecim ædes è saxo pulcherrimas pari altitudine adunxit in foro, in cujus medio peristylum cernitur septem columnis exterioribus, & pulchro fornice subnixum, quod Guilielmus *Knichte* Episcopus, & *Vollmanus* Decanus in usum contuentium ad mercatum posuerunt. Hæc vero in orientali parte, in occidentali vero vidimus Ecclesiam Parochialem S. Cuthberto sacram, cui proximum est Hospitale à Nicolao *Bubwith* Episcopo, xxiv pauperibus fundatum.

Farley.

E montibus illis Minerariis *Frome* fl. oritur, qui in Ortum contendens per puteos carbonum illorum fossilium, quibus ad mollendum ferrum utuntur ferrifabri; cum non multum viæ confecerit, in Septentrionem conversus, limitis vice inter hunc, & Glocestrensem agrum fungitur, & *Farley* non ita pridem Hungerfordorum castrum rupi impositum, ubi olim *Humfredus Bohum* monachis construxit cœnobium, (non procul à *Phillips Norton*, foro celebrato, cui templum S. Philippo dicatum appellationem fecit) irrigat.

Phillips
Norton.

Selwood.

Inferius *Selwood* sylva, quam dudum dixi, longe lateque diffunditur, arboribus satis condensa, à qua circumvicina regio olim *Selwoodshire*, ut author est *Ethelwerdus*, vocabatur, oppidum vero ad situm etiamnum *Frome Selwood* dicitur, quod è lanificio maximum quæstum facit. A quo vix duobus ad occasum milliaribus exiguum, & non inelegans castrum cernitur, quod à *Dela-Maris* conditum & cognominatum *Nonney de la Mare*, ab ipsis hæreditario ad *Posylettos* devenit. Nec procul inde *VVitham*, ubi Monialibus ædem Rex *Henricus Tertius* erexit.

Nonney
de la Ma-
re.

Bathe.
Aque So-
lis.

De urbi-
bus.

Iam autem *Frome* nonnullis ex hac sylva rivulis plenior, tandem *Avonæ* nobili flumini se committit, qui obliquiorem ripam agens statim antiquam urbem invisit, quæ à thermis *Ptolemæo* ΤΑΤΑΘΕΡΜΑ, id est, *Aque calidæ* dicitur, Antonino AQVÆ SOLIS, Britannis *Trennaint tpymin*, & *Caer Badon*, Saxonibus *Bayancerter*, hæc *Bayan*, & etiam à valetudinariorum concursu *Akmanchester*, id est, *Vrbs Valetudinariorum*, Stephano *Badiza*, nobis hodie *Bathe*, & vulgo Latinorum *Bathonia*. Subsides in planitie haud ita magna, & ex omni parte collibus pari quasi altitudinis fastigio obvallata, è quibus perennium rivulorum scaturigines in urbem magno civium commodo descendunt. In ipsa urbe tres calidi fontes ebulliunt, cæruleo & marino colore te-

nues nebulas & quasi Mephitim exhalantes (sulphure enim & bitumine aqua percolatur.) Qui Therma: efficaci remedio salutare corporibus quæ pravis humoribus torpescunt; sudorem enim calore suo proliciunt, & humorum contumaciam edomant. Non omni tamen hora sunt salutare, ab hora enim octava ante meridiem usque ad tertiam à meridie maxime fervent & exæstuant, & turbidi fœda quædam ex imo fundunt, quibus temporibus clauduntur; ne quisquam ingrediat, donec per emissaria sua se sordibus illis liberarunt, & expurgarunt. Ex his tribus, qui *Crucis Balneum*, ob crucem olim in medio erectam vocatur, miti admodum, & temperato calore tepet: & 12 sedilia è saxo in margine habet, muroque includitur. Alter vero vix ducentis hinc pedibus, multo magis fervet, unde *VVhot bath*, id est, *Fervidus* dicitur. His contiguum est *Nosocomium* à *Reginaldo* Bathoniensi Episcopo positum, ut valetudinariorum inopiam sublevaret, & hi duo in medio sunt plateæ ad occidentum urbis partem. Tertius maximus in urbis quodammodo sinu est, & *Balneum Regium* appellatur, juxta ecclesiam Cathedralis, muro etiam circumdatur, & xxxii sedilibus arcuato opere adaptatur, in quibus viri & mulieres seorsim sedeant, qui lineis induti cum ingrediuntur, se superinduunt. Ubi jam Ecclesia Cathedralis, antiquitus templum *Minervæ* sacrum extitisse fama tenet. Certe *Solinus Polyhistor* de his proculdubio thermis loquens, *In Britannia* (inquit) *calidi sunt fontes opiparo exculti apparatu ad usus mortalium, quibus fontibus præsul est Minervæ numen, in cujus æde perpetui ignes nunquam canescunt in favillas, sed ubi ignis contabuit, vertitur in globos saxeos.* *Athenæus* tamen author est omnia lavacra calida, quæ è terræ visceribus naturaliter scitent, *Herculi* esse sacra: & nescio quæ *Herculis* antiqua imago anguem manu constringentis, hic in mœnibus, inter alia vetusta monumenta temporis injuria jam plane deformata, cernitur. Sed ne de hoc contendatur, demus, si placet, cum *Herculi*, tum *Minervæ* balnea fuisse dicata. A Græcis enim proditum est, *Palladem* *Herculi* post labores exantlatos lavacra primum subministrasse. Satis erit si ex *Solini* autoritate evicero, cum his fontibus *Minervam* sive *Palladem* præfuisse prodatur, hanc urbem esse, quam *Britanni* *Caer Palladur* sua Caer Palladur. lingua dixerunt, hoc est, *Vrbs Palladiæ aquæ*, si Latine interprete: is; apposite enim res, nomen, & significatio conspirant. Harum inventionem referunt fabulæ nostræ ad *Britannorum* Regem *Bleyden Cloyth*, id est, *Bleyden Magus*, quam probabiliter dixerint, alii. Magiam vero tantis cæremoniis *Britannos* olim celebrasse, author est *Plinius*, ut eam *Persis* dedisse viderentur; ad vim tamen Magicam has thermas referre non ausim. Nonnulli ex nostris, sed aliud agentes, *Iulium Cæsarem* inventorem fuisse tradunt. Verum enim vero serius ad *Romanorum* cognitionem pervenisse judico, cum *Solinus* primus sit qui de illis meminerit. *Saxones* autem circa annum XLIV ab adventu in *Britanniam*, rupto fœdere, bellum jam restinctum inflammantes, hanc urbem obsidione incinxerunt, sed cum *Arthurus* bellicosus supervenisset, ipsi *Montem Badonicum* occuparunt, ubi cum ab ultima spe, animis diu dimi-

Minervæ
templum.

Caer Palladur.

Britanni
Magiæ
dediti.

Mons Ba-
donicus.